

tam necessaria est, ut sine ea uix ulla peregrinationis de-
tur utilitas. Plurimum conducit peregrinatio, sed prae-
paratum debet esse pectus, scribit HORNIVS. (f)
Et peregrinatio caute est suscipienda, nec, nisi fundamen-
tis probe iactis, inquit BOSIVS. (g)

REGVLA II.

*Ad praeparationem, recte faciendam, maximi mo-
menti est contemplatio caussae, cur sus-
cipiatur peregrinatio.*

EXPOSITIO.

Cum sapiens certam rerum omnium ineat rationem, nec
temere quid faciat, aut frustra, prudens etiam pere-
grinator scopum sibi praestituere debet, ad quem suae
cursum peregrinationis dirigat. Equidem omnis peregri-
nationis, a quocunque demum suscipiatur, generalis
fere finis esse debet acquisitio eorum, quae ad perfici-
endam exornandamue uitam civilem prodesse possunt.
Cum enim studium omne, omnisque doctrina ad rectam
uiuendi rationem referri debeat, peregrinatorum quo-
que id generatim spectare oportet, quod uitae inferuiat.
Idcirco uitae discendum, uitae domi, uitae peregre stu-
dendum, uitae, tum priuatae, tum publicae, saepe lau-
datus inquit BOECLERVS. (a) Scilicet is demum
domi

(f) IO. FRIDERIC. HORNIVS in Architectonica de Ciuit.
prooem. C. V. §. II. V. VI, p. 40. edit. cum notis Kuchen-
beckeri Lugd. 1699.

(g) IO. ANDREAS BOSIVS in dissert. isagogica de prudent.
et eloqu. ciuil. comparanda §. 128. p. 61. et in introductione ad
notitiam rerumpubl. C. VI. p. 72. conf. BOECLER. in cit.
dissert. de peregrinat. Germ. p. 9.

(a) c. l. p. 42.